

Ma  
3744

1537



4537.

Adspirante JEHOVA  
DISSERTATIO

De

NOBILITATE,

*Ad Generosum ac Nobilissimum  
Adolescensulum,*

CHRISTOPHORUM CASPARUM  
à BLUMENTHAL

*Autore*

Johanne Cramero  
Eidem à Studiis.



WITTEBERGÆ  
Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.  
ANNO MDCXLIII.

*Ma 3744*



DISSERTATIO

NOBILITATE

CHRISTOPHORUM CASPARUM



Johannes Casparus

WITTEBERGE

Typis Johannis Caspari, Typogr. Anno MDCCLXXII



GENEROSE MAGNIFICIQUE AC SUMMI  
VIRI

**DN. JOACHIMI FRIDERICI**

à BLUMENTHAL in Pröttlin, Dibbon & Trechwitz, S. Cæs.  
Majest. Consiliarij Ejusdemq; ad Rhenum Exercitus  
Commissarij Generalis, &c.

*Filio Nobilissimo ac Summa Spei adolescentulo,*

**DN. CHRISTOPHORO CASPARO**

à BLUMENTHAL, Discipulo suo oculis sibi chariori,  
*Ευπρεξία*

**Q**uam detestabile vitium sit, quam modis omnibus fu-  
giendum, ingratitude, qui nescit, ex sacris Dei oraculis,  
vel cum horrore cognoscere poterit, cum exsiccantem,  
ventum, cum liquecentem pruina appellari; tum il-  
lud triste ac tremendum audiet, à domo ingrati non recessurum  
unquam malum esse. Nam quid formidolosius, quid terribi-  
lius, queso, in quenquam dici posse putabitur, quam in ingratum  
hic pronunciat, quò ipsi Ethnici etiam terram nihil pejus  
creare, & cum ingratum, dixeris maledicta cuncta dici existima-  
runt? Ego vero præterita animo diligenti volvens ac revolvens  
memini cumuli quasi istius beneficiorum à Dn. Magnifico Paren-  
te in me collatorum infiniti, quibus me per quadriennium, quo  
primis tuis studiis præfui, certatim exornavit. Quorum si nullum  
aliud, ut aliorum taceam numerum innumerum, hoc certè infini-  
tas & immortales requirit gratias, quod me per integrum annū  
spatium in hac Almā Albinā in conviciu & ædibus Excellentissi-  
mi Viri Dn. AUGUSTI BUCHNERI Professoris Eloquentiæ  
Publici ac Celeberrimi liberaliter alere & sustentare dignatus est.  
Magnum profectò hoc beneficium; in quo id admirandum ma-  
ximè, quod mihi & meis studiis magis, quam tibi ætatiq; tuæ,  
quin sibi ipsi, consulendum putavit. Nam cum te commodum  
annos sex natum (quam tenellæ ætatis?) ablegaret ab se, & huc  
dimitteret de suo sinu, quid aliud fecisse credi poterit, quam se

A 2

perpe-

perpetuæ sollicitudini ac curis objecisse? Quid aliud hæcenus reptu-  
tasse sectum & sermocinatum colliges, quàm, en viden? tu unicum  
gaudium tuum spemq; gentis tenellum filium alterius causa in  
consueti & fortè noxij aeris periculo, procul paterno auxilio & sub-  
sidio præsentia tua, tempore maximè formidoloso, exposuisti, quid  
responsurus populari auræ & famæ, ullum si acciderit illi vitæ pe-  
riculum? nonne videberis te *σπερην* naturalem deposuisse, *αἰσπερην*  
contra induisse, ac ita non satis benè audies? Hæc, inquam, sunt  
magna, sunt rara; sint ergò cara, & quid nî magna, cum omnium,  
quotquot fuerunt, hominum incurrerint admirationem. Sapien-  
tissimus Romanorum Seneca, ingratum illum pronunciat, qui be-  
neficium accipit, sed non reddit; omnium verò ingratisimum, qui  
oblitus. Possim ex eo quærere, quomodo ille appellandus, qui li-  
benter redderet quidem, sed unde reddat non habet? Quod si in  
actione voluntas magis, quàm ipsa res æstimanda est, ingrati certè  
notâ perstringi haud poterit: & itaq; gratus videbitur potius, quia  
optavit esse; quàm ingratus, quod quantum fuit in se, detestatus  
est. Itaque etsi primam laudem mereatur, qui animo simul & re  
gratiam reddidit; secundâ tamen non excidet, qui, quod non po-  
tuit, voluit tamen. Itaq; locum hîc illud Ciceronis habeat; Prima  
sequentem, honestum esse, in secundis tertiisve subsistere. Qua-  
propter animum meum ex mœrore solatur ac reficit, quod in rebus  
arduis ipse conatus, licet infra meritum, licet impar voluntati,  
laudem mereatur: & sua cuiusq; pietas non tam aliâ re, quàm ani-  
mo maximè sit æstimanda. Flumina meritò, unde egressa, redeunt;  
redeat itaque ad rivulum illius quod exiit fonte. Ego inter cul-  
tores tuos futuros, mî Ocelle CHRISTOPHORE, gradu & censu  
fat impar, animo tamen & affectu vix cuiquam secundus, nullum  
nobilitati tuæ inferre possum donativum, quàm hanc meam te-  
nuem de Nobilitate dissertatiunculam, duplici in primis de causa:  
primum quidem, non ut id elaborem, quò ingenij (quod mihi  
nullum) aliquâ laude fruam: sed ut incredibilem meum affectum  
studiumq; erga Te ac singularem grati animi voluntatem, decla-  
rem. Non igitur mihi deero, quamdiu aliquid præstare non pos-  
sum, quin hoc saltem scribendi genere, meum in te animum pie-  
tatis ac benevolentia plenissimum ostendam perficiamq; ut me in  
omni loco gratum esse & tu, & Generosus Pater cognoscatis. Non  
enim

enim quibus magna præstare non est integrum, parva exinde negligere debent; & qui in rebus majoribus usui esse non possunt, ob id in levioribus muneribus apud eos, quos præcipue observant, collocandis diligentiam & animum remittere, cum in omni genere officij pluris animi voluntas, quam muneris magnitudo æstimanda sit & facienda. Secundo verò ut sic haberes vera veræ nobilitatis ac virtutis tum paternæ tum aliorum vestigia, quibus per vitam insistere posses. Ut enim celebratur Aristidis Justitia, Themistoclis fortitudo, Phocionis temperantia, non ideo, quod hæc virtutes animo perspectas tantum habuerint, sed quod re ipsâ omnino præstiterint: sic & non sufficit ad veram gloriam parandam ante partâ & aliunde acceptâ nobilitate gloriari, nisi etiam propriæ virtutis accedat splendor & nisus. Quapropter nullum mihi oritur vel relinquitur dubium, quin hæc mea, quæliacunq; sint, magis ex animo, quo scribuntur, quàm ex aliquo scribendi artificio, ponderanda existimes. Quanquam quidem id facio audacius, singulari tuâ Parentisq; magni humanitate & commemorandâ beneficentiâ provocatus. Non quod nobile decus tuum & splendor meo indigeat testimonio; sed quod alia mihi via nulla relinquitur, quâ ingrati animi erga Genitorem tuum magnum, notam effugere valeam. Inscribebant tibi alij majora, ego verò à quo nihil aliquid egregium expectari debet, hocce tenuiori munusculo testabor hominibus magnitudinem benevolentia ac observantia erga te meæ, demissè orans, ne, cum ingenio pariter etiam me favor vester ulterior relinquat. Hoc igitur quicquid est vile & exile, à meâ, quæso, accipiatis benevolâ manu & animo. Quod si intellexero hæc vobis fore grata, omnem movebo lapidem, quò si non viribus, animo tamen præstem majora. Voto finienda epistola est; precor itaq; atq; opto, ut Deus tibi & tuis omnibus constanter faveat, & rebus vestris amplissima incrementa addat. Imprimis ut tu & Patris Generosi & mea quoq; desideria ac spes, non æques modo, sed vincas etiam atq; superes, novum atq; inusitatum decus genti tuæ. Vale. Dabantur in Alma Wittebergensi 28. Junij, Anno recuperatæ salutis 1643.

Johannes Cramer.

DISSERTATIO  
*De*  
NOBILITATE.

Xtiterunt nonnulli jam olim, qui nihil dubitarunt asserere, si Jupiter in primo coeli cardine partialiter, uti loquuntur, in parte horoscopi positus, iis praesertim in signis, quibus gaudet, vel in suis domiciliis, aut etiam in suis finibus, vel in altitudine sua, nascenti cuidam affullerit, magnam nobilitatem illi promitti. Vel si eodem tempore Sol in horoscopi parte, in signo n. a sculino, in domo aut altitudine sua ac benevolae stellae radiatione steterit junctus. Quotusquisq; haec de nobilitatis origine prodita aut fando audiens aut cognoscens legendo, non illico sanè, nisi corruptae aut dubiae mentis fuerit, pro deliramento ac somnio habeat? A deo quidem, ut qui & refutare ambitiosius velit, delipere & ipse videatur? Quamvis autem deducenda nobilitas coelo haud sit, existere tamen aliquid, quod splendorem & dignitatem iis, qui eo compositi sunt bono, circumfundat, nemo negaverit. Id enim testabitur ordo rerum & series, & universae naturae, si consideretur, ratio. Ubi, ut rerum infinitae sunt formae ac facies, multumq; diversae atq; dissimiles inter se, ita fieri non potest, quin alia aliam praestantiâ suâ ac dignitate excellat  
ac su.

ac superet. Videamus, si lubet, primò omnium illud crystallinum cœli regnum; ac intueamur Solem principem siderum, Lunam quasi Reginam; tum septem Planetas, quasi amicos, & purpuratos quosdam, hoc est, si hodiernis nominibus uti malmus, quasi Comites quosdam, Baronesq; ac Nobiles. Has enim stellas non tantum ordine ac specie, sed & virtute & vi & potentiâ longè distare invicem, nobilioresq; nobiliora sortitas loca, quis non observat? Ex angustiâ hæc siderum regiâ in amplissimum Elementorum si descendimus palatium, ex quibus non animalia solum, sed var.æ plantæ, lapides, metalla cuncta coalescunt, summam ubiq; in illis & dignitatis & potentiæ deprehendes disparitatem. Ignis tanquam cæterorum princeps summo in loco collocatus, calidus & siccus est; aër humidus & calidus; aqua frigida & humida, terra sicca & frigida. Jam si intendas animi aciem in volatilium catervam, quid aliud, nisi nobilitatem aquilæ, gruum aliarumq; avium anteferri animadvertes? Idem observare licet in fluminibus & fontibus, ubi principem obtinent locum, Rhenus, Danubius, Albis, Viader. Jam ipsis in piscibus imperant velut & ante cæteros pollent Balænæ, Oræ, Tritones: in animalibus terrestribus Leones, Dracones, Elephas, Panthera qf. regnum exercent, Non minus omnium rerum nobilitatem  
disparem

disparem manu quasi palpabimus, metallorum  
fodinas si accedamus, aurumq; argento, hoc rur-  
sus æri, cætera reliquis antecellere & quasi præri-  
pere palmam observemus. In lapidibus præmi-  
nent Magnes, Marmora, Eboræ fossilia: in gem-  
mis Adamas, Margaritæ, Smaragdus, Opalus. Quid  
proferam arbores, fruges, herbas, flores aliaq; in-  
numera? Pomus enim Assyria, mala aurantia, Ci-  
tria, Triticum, Pepones, Liliū, Quercui, Avenæ,  
lolio, iridi præstant. Tanta verò Naturæ excellen-  
tia, ut in aliis rebus sempiterna, ita in iis, quæ oriun-  
tur & occidunt, virtute quâdam seminis in sobo-  
lem ipsam infunditur & quasi transplantatur. Qua-  
propter cum in rebus mutis & brutis cæterisque  
omnibus, hunc naturæ cursum & ordinem teneri  
videamus; quid mirum, si in homine, qui totius  
universi epitome, hoc idem observetur? cum ma-  
gni interesse putemus, ex quo genere sit procrea-  
tus canis, equus; ex quâ arbore & stirpe defractus  
surculus, quibus verò parentibus homo procrea-  
tus sit, non attendatur? Aliter longè saniores  
homines judicant: ne Gignantum more Natu-  
ræ repugnemus, quæ vel inter homines præcipuè  
alios nobiles, alios ignobiles ortos desiderat. Unde  
Aristoteles Philosophorum Coryphæus & facile  
princeps, Nobilitatem ideò venerandam censuit,  
quod meliores ex melioribus oriri, uno omnium  
sensu

sensu existimetur. Plerumq; enim fieri assolet, ut motus animorum acriores sublimioresque naturæ vires cum vitæ ipsius spiraculo infundantur & implantentur. Nam sicut in stirpibus; ita etiam in homine virtutis succus ex radice sese diffundit & vi naturæ quasi insinuat in surculos. Et sanè quemadmodum generosa arbor in feraci & fæcundo consita solo studioq; & pertinaci sedulitate culta, deteriores haud edit fructus, ita rationi vix consonum, ut qui illustri genere orti & suscepti, tum ingenuarum artium studio ad honestatem exculti fuerint; non eos edant fructus, qui ortus sui fidem faciant. Omnibus namque stimulis excitat nobilitas in magnis animis generosam æmulationem in gentemque cupiditatem æquandi haud tantùm illos, quibus splendorem natalium ac lucem debent; sed & quodammodo superandi: ut tueantur non tantum partum decus quantum in se, verum & augeant atq; amplificent. Quis in priscorum pandectis adeò ignarus & peregrinus, quem fugiat Heraclidarum gentem ita magnitudine animi præstitisse, ut pelopidarum potentiam manu exiguâ fregerit, & rebus Atticis in ultimum discrimen adductis, sæpè lucem attulerit? Quid hîc Perseidas referam? Quid Æacidarum res cedro dignissimas? Jam si Græciæ oculum Atheneas animi

in oculo perlustrabis, ut res memoratu videas longe dignissimas, quæ ab illâ civitate gestæ sunt: omnes maximâ ex parte videbis à viris summo genere ortis & majorum gloriâ accensis & concitatis editas esse. Ut enim Reges præteream, quos singulari virtute fuisse accepimus; certè Clisthenes, Phocion, Themistocles, Miltiades, Cimon, Aristides, Pericles quanti viri fuerunt? Qui cum maximas res contra barbaras juxta & alias gentes gesserint, & incredibilem gloriam sibi paraverint; tum omnes amplissimis familiis & nobilissimo genere fuerunt nati. Usque adeò verum est, quod Romanorum Pindarus cecinit:

*Fortes creantur fortibus & bonis,  
Est in juvenis, est in equis patrum  
Virtus: nec imbecillum feroces  
Progenerant Aquila Columbam.*

Cùm verò magni interesse soleat, rei cujusdam, de quâ est sermo, nomen sive vocabulum perspectum habere & cognitum, quod ex illius discussione diligenti sæpius ad intima & secretiora rerum penetrare, ut summus Criticus atque Philosophus Julius Scaliger censuit, queamus: age, inquiremus in originationem nominis, & unde sit dicta nobilitas, investigemus cum curâ. Est autem planè puerilis illorum ratio atque ridicula, quia nobilem dictum volunt, quia non vilis sit; aut quia non vilem habere debeat. Nam licet vilitas cum nobilitate  
nullum

nullum commercium habeat, quæ sine præroga-  
tivâ & dignitate aliqua esse haud potest; licet no-  
bilitatem in primis deceat moderatio animi ac  
mansuetudo, & quædam ab iracundia, quæ bilem  
sequitur, vacuitas; quotusquisque tamen est, qui  
boni Grammatici, (est enim hujus generis isthæc  
provincia propria) implese munus existimet, qui  
istum in modum vocabulorum incunabula & ori-  
gines scrutari instituat? Germana atque verissi-  
ma illorum ratio est, qui à noscendo deducunt; &  
nobilitatem tanquam noscibilitatem (detur vo-  
cabulo venia) quod præ cæteris nota, clara, illu-  
stris, spectabilis atque conspicua sit, tum omnium  
sermone celebrata, appellatam existimant. Quare  
is demum habendus & statuendus est nobilis, qui  
virtute & sapientia excellat maximè, & magnam  
inde gloriam sibi comparaverit. Quò respexisse  
nonnulli existimant scriptorum omnium primum  
Mosen; qui cùm jubebatur à Domino, ut ne ipse  
ob rerum tractandarum multitudinem succum-  
beret, sibi eligeret adjuutores, qui simul participa-  
rent de rerum ac laboris gravamine, huncque in  
modum ipsius onera sublevarent, dixisse ad popu-  
lum traditur se elegisse ירדעים (Irduhim) id est, co-  
gnitos, sive Nobiles, ut Juris divini interpretes ex-  
posuerunt, Tuli de tribubus vestris Sapientes &

Nobiles, quod LXX interpretum Chorus vertit.  
*ἀνδρῶν σοφῶν, ἐπισημοῦν, συνετῶν.* Quod si Poetarum  
pandectas consulimus, inveniemus nobilissimos  
quosque *δειῶν* sive divinos appellatos; ut documen-  
tum capiamus inde, Nobilitatis nomen ab ipsis  
diis ortum ducere. Atque in genere quidem &  
latiore quâdam ratione nobilem dicere possumus,  
quâcunque re notum & celebrem; sive eum vir-  
tus & bonæ artes illustraverint, sive flagitia atq; fa-  
cinora mala famosum atque insignem reddiderint.  
Pressius tamen ac omnium maximè propriè si uti  
vocabulo istoc volumus, dicendum erit, Græcis  
hos esse nobiles, qui à stirpe Regum, aut Heröum,  
Heraclidarum puta, Æacidarum, Cecropidarum,  
hoc est, præstantissimâ atque amplissimâ originem  
ducunt, aut qui ob res tum à se, tum à majoribus  
præclarè & insigni laude gestas publico decreto  
coronam auream, immunitates, statuas, victum in  
Prytaneo aliisque publicis in locis Optimatum po-  
pulive decreto ac consensu, additâ ac exornatâ  
laudatione consecuti sunt. Quod si antiqua He-  
braicorum monumenta adierimus non minus  
Nobilitatis decus apud illos quàm alias gentes  
splenduisse reperiemus. Duo autem imprimis  
fuere illustrium ac nobilium virorum genera, quo-  
rum alterutrum ab Aaronis stirpe; qui soli sacer-  
dotes

dotes erant. Uti enim gens illa summam bonorum omnium in religionibus ac divini Numinis cultu collocabat; Ita sacerdotes, qui proximè ad venerandum ac tremendum immortalis Dei numen accederent, nobilissimos judicabat; alterum erat & habebatur Regia Majestas, quiq; ex illâ regium ducebant ortum. Apud Romanos non alij habebantur nobiles, quàm quorum majores Curules, magistratus, ut sunt Consulatus, Censura, Prætura, Aedilitas, gesserant. Ut ut verò Nobilitas in se & ex se augustum nomen, sic non unâ, sed amplissimis gaudet appellationibus, dicitur enim nobilitas apud alios scriptores Claritudo, etiam Splendor natalium, Altum genus. Nobiles ipsi Clari, Illustres, Splendidi, sublimes, summo loco nati, Inclyti, Famosi, Insignes, *Εὐγενὲς* Generosi (Generosum verò quod non à genere suo deflectit, dictum volunt). Nobilitas igitur ore omnium ac consensu, natalium splendor, claritudo generis, Dignitas stemmatum, imaginum & gentilitatis & ob virtutes Reipubl: & vitæ communi salutare & commodas scientiam sc. & res præclarè gestas à plebejâ cōditione exemptio. Ut v. tanta ubiq; rerum naturæ sapientia, quæ cuncta ita mirificè fabricata, nihil ut sit à se, per se & ex se ipso tanq. principio primi sui influxus, sed quælibet res, quilibet effectus secum perpetuum habeat comitem quandam causam

summam vel effectricem, quam non minus agnoscit immortalis Nobilitas, quæ absque ullius tripodis elogio omnium rerum summa, omnibusque numeris absoluta deveneranda & Augustissima Majestas in toto Teutoniæ, heu! olim hostibus tremendæ, nunc miserè vastatæ, imperio; vel sceptrum Regium in suo regno, superiorem non agnoscens. Ut ut verò ex quolibet non quodlibet; minus quolibet ex ligno fiat Mercurius, ita quoque certum est non ex quolibet homine, nisi virtute præditus sit, formari & creari nobilem posse. Quemadmodum enim ignem calor, Solem lumen, diem lux, ita quoque nobilitas præsupponit & requirit virtutem. Præterea in aprico est, merentibus, ex omnium gentium calculo, qui pro lege haberi consuevit, virtutum præmia tribui fas duci; quorsum verò virtutis præmium, ubi virtutis exilium? cessante enim fine celsat actio: labore ergò & virtute, non ambitione, quæ animorum corruptrix, honoris ascenditur culmen & incrementum petitur. Cum verò non una eademque virtutum facies, nomenq; sit; scitu dignum erit, dicere; esse aliquam, quæ domi haud latitet, non intra parietes & cancellulos sese contineat, seque includi sinat vel patiatur; sed quæ latissimè se extra patrios limites belli cum primis tempore diffundat.

dat. Nam cum non nobis nati simus; sed natura  
nos ad humanam societatem iuvandam impellat  
& suscitet; is solùm videtur cæteris virtutis pal-  
mam ambiguum facere, cuius studium erga Rem-  
publ. magnis in rebus perspectum fuerit, Magnum  
est, & nobilitate dignissimum, mortem contemne-  
re, & pro dignitate, libertate & salute omnium vi-  
tam lubenti animo ac infracto pectore profunde-  
re, nec ullum patriæ vitæ denegare periculum.  
Unde non immeritò ij omnes, qui pro Republ.  
mortem oppetierunt, in perpetuum mortalium  
numerum excessisse atq; per gloriam vivere, intel-  
liguntur. Et aureum illud Rom. Eloquentiæ flu-  
men Cicero pro Planco, qui pro Republ. vitam  
reddiderunt, non mortem, sed immortalitatem  
potius assecutos, asserit, Hinc Turcis animi magni-  
tudo tanti dicitur esse momenti, ut persuasi, nul-  
lorum animos majori compendio & facilitate in  
coelum avolare credant, quàm virorum fortium,  
qui in bello occubuerunt. Et quanti fecerint ipsi  
Veteres animi magnitudinem exinde facilimum  
est conjectu, quod Atheniensium legislator Ora-  
culo teste sapientissimus Solon constituere non sit  
veritus, ut eorum liberis, qui vitam pro patria for-  
titer dimicando profudissent, de publico erogare-  
tur necessaria vitæ alimonia: ut gratiam redderent  
eorum

eorum posteris, quibus pro meritis suis reddere  
ipsis vicem haud possent. Quid referam apud Ro-  
manos tot equestres imagines, tot coronas mura-  
les, Castrenses, Civicas, triumphales, tot virtutis in-  
signia, tot laudis ornamenta, virtuti militari pro-  
posita fuisse? Quorum cupiditate, non modò no-  
biles, verùm etiam ex infimâ sorte, tanto animi ar-  
dore correpti fuerunt, ut nullum pro Republ. vitæ  
periculum recularint. Duos illos Decios accepi-  
mus, obscuris quidem natalibus ortos fuisse, am-  
plissimum tamen, propter singularem animi ma-  
gnitudinem, honoris gradum in Republ. consecu-  
tos. Legimus Luc. Marcium illum, qui Rempubl.  
in Hispania collapsam restituit, humili susceptum  
genere, sed militari virtute effecisse, ut ad summa  
honoris atque gloriæ culmina proveheretur. Quid  
Marcum Marcellum referam, qui primus Hanniba-  
lis impetum repressit, omniaq; tandem virtute vin-  
ci, edocuit? Quid Maximinum Thracem & Ale-  
xandrum Syrum, qui virtutis & fortitudinis orna-  
mento ac beneficio ad summos & maximos ho-  
nores, ipsumque ad imperij solium sceptrumque  
tandem aspirarunt? Quid denique, ne oratio mea  
in infinitum crescat numerum, fortissimum illum  
Marium, sexcentosq; alios, infimo loco natos refe-  
ram? qui tamen propter virtutem militarem & im-  
pera-

peratoriam ascenderunt ad augustissima honoris  
loca, posterisque suis nobilitatis gloriam, virtutis suae  
testimonium, acquisiverunt. Sed haec omnia, quae  
enumerata, forsan nimis vilia ac contempta: pos-  
sem tamen, si vellem alia clariora producere in  
scenam. Quam enim quaeso ratione factum, ut Ro-  
ma totius mundi tunc temporis Regina; Athenae,  
Carthago & aliae urbes innumerae ad tantam Im-  
perii magnitudinem pervenerint, quam hanc unicam  
animi virtute? Quare nobilis factus Portius Cato?  
fortitudine. Iphicrates Atheniensis? fortitudine.  
Haec haec virtus nobilitatis quasi fons & scaturigo  
est. Quam de causa magnanimis hisce viris templa,  
columnae, statuae, pyramides extrui aliaque laudis  
ac memoriae monumenta caepa sunt, aera conse-  
crari, decerni divini honores, ministeria, sacra, quae  
uni Deo, omnium conditori, quem tamen non  
noverant, debebantur. Exinde ortum imagines  
familiarum traxere. Apud majores, inquit Plinius,  
majorum imagines erant, quae spectarentur: ex-  
pressi vultus singulis disponebantur armariis, ut  
essent imagines, quae comitarentur publica fune-  
ra. Et mox; aliae foris & circa limina animo-  
rum ingentium imagines erant, affixis hostium  
spoliis, quae nec emptori violare & refringere  
liceret. His postmodum successerunt insignia  
genti-

C

genti-

gentilia, quæ ipsa rerum præclare gestarum signa  
& indicia sunt. Alios enim videmus castella, quæ  
vi & consilio expugnarunt, alios alia, quibus virtu-  
tis suæ memoriam prodant, gestare solere. Cum  
verò non una eademq; temporis ratio, sed pro re-  
rum diversitate ipsa sit diversa, diversasq; induat  
formas, aut cives enim incedit Sagatus aut toga-  
tus, horum verò neuter suo poterit fungi munere,  
absque justitiæ munimine; hæc enim absq; virtute  
militaris & ipsa ingens animi magnitudo mole-  
ruet suâ, nî illius præsidio fulta & munita. Nemesis  
enim illa divina, quid credatur aliud nisi civitatis  
anima, omniumque virtutum perfectissima, hanc  
omni seculo mortales arbitrati sunt utilio-  
rem esse subditis, quàm fertilitatem temporis. Cum verò  
minimè animum meum induxerim, justitiæ lau-  
des, quod esset soli lumen addere, persequi, sed sal-  
tem ostendere, quantus ad nobilitatem parandam,  
per justitiam pateret aditus. Principio enim cum  
nondum essent homines bonis moribus imbuti,  
certoque jure astricti, omnisque vita mutuis inju-  
riis cædibusq; exposita & infesta, ij qui à potentio-  
ribus nefariè pressi asylum quasi quærebant apud  
eum, qui Justitiâ, fide, & æquitate plurimum pol-  
leret, eâ de causâ, quò injuriam ab iis propulsans  
eos in libertatem assereret. Ille verò aliorum qui-  
dem

dem vim reprimendo, aliorum v. miseriam suble-  
vando, salutem omnium consulebat. Populus verò  
cùm animadverteret universus, quàm salutaris ef-  
set illa juris æquabilitas, eum, cujus Justitiam ex-  
pertus, ad clavum regiminis & imperij evexerunt.  
Minimè proinde sanctæ veritatis claustra viola-  
bunt illi, qui statuunt ex divinæ Nemesis fama ceu  
fonte Regum Majestatem ortam, inde summa im-  
peria nata, inde omnis gloriæ & nobilitatis splen-  
dorem illuxisse. Quàm liberè in amplissimo cam-  
po exultare hic mea posset oratio, nî ratio & fasti-  
dium legentis id prohibere videretur, & non mi-  
nus virtutis habeatur, scire desinere, quàm scire  
dicere, paucissima hæc legentis veniâ, quæ so in  
medium producere liceat. Pittacus ille Mitilinæus  
tantùm Justitiæ ope stipatus summum imperij fa-  
stigium obtinuit. Hæc virtus dignum effecit ipsum  
Numam Pompilium, ut omnium suffragio secun-  
dus à Romulo fasces imperij teneret. Quid rerum  
Æacum, Minoem & Rhadamantum, Jovis ipsius  
filij ut crederentur, & apud inferos summo loco  
esse, effecit, quàm justitiæ opinio, quâ inter ho-  
mines floruerunt imprimis? Referre hîc possem,  
quî Lycurgus Spartanorum, Draco & Solon Athe-  
nensium legislatores vetustissimi & justissimi, (ut  
vetustiores illos Mercurium & Phoroneum & reli-

quos infinitos omittam) tantam, leges & jura cō-  
dendo, salutem suis civibus attulerint, augustissi-  
mos sibi honores acquisiverint & nobilem stirpem  
in Nestorios, quod ajunt, annos, protraxerint.  
Aratum Siconium ipsa rerum antiquarum mo-  
numenta, etiam me tacente, producere gestiunt,  
qui cum nullus esset imperator, eam tamen justitiæ  
pulchritudine laudem consecutus est, ut omnibus  
Imperatoribus, omnium suffragio sit æquiparandus.  
Ipsi Aristidi etiam, qui tantum effecit justitiæ  
laudibus, ut inde cognomen consecutus, justus  
appellaretur. Ac neque Themistocles tot ac tan-  
tis rebus fortiter gestis apud cives Athenienses cla-  
rus ac celebris haberetur major. Cujus virtutis,  
Justitiæ puta, laus eò augustior evadit, quod illa  
per se, etiam si cæteris non stipata, suam mereatur  
laudem & dignitatem. Cæteræ enim virtutes ab  
hâc sejunctæ, non modò sæpius non illustres, sed  
aliquando etiam aliquo modo noxiæ existunt.  
Quibus alia sexcenta addi possent, ex quibus omni-  
bus clarissimè intelligitur, nullam esse viam ad am-  
plificationem honoris ac nobilitatis certiolem, ne-  
que quæ majus & illustrius genti alicui afferre  
queat decus, quàm Justitiam. Hinc Optimates,  
hinc Principes extiterunt, hinc prima nobilitatis  
principia nata omnium cōsensu creduntur, Quod  
usu

usu venire illis solet, qui in campo omnigeno flo-  
rum genere consito odoriferos decerpere gestiunt  
flosculos, ut quò plures decerpant, plurimos ta-  
men reliquisse videantur, idem mihi hîc accidit,  
dum sermone perexiguo venari institui virtutes,  
quibus ad nobilitatem regia patet via, sed quò plu-  
res hîc à nobis enumerantur, eò plures sese offe-  
runt. Quis adeò priscarum in rerum monumen-  
tis peregrinus, quem fugiat, multos summa rerum  
fastigia munificentiae & liberalitatis magnitudine  
fuisse assecutos, quæ virtus etiam quolibet homi-  
num ævo Nobilium eorumque qui cæteros mor-  
tales immortalitatis & generis splendore antecel-  
lerent, habita fuit propria quasiq; domestica.  
Cæteræ enim quotquot sunt virtutes omnes lo-  
cum habere possunt in homine tenuioris fortunæ  
& minus pecuniâ instructo, sed suo proprio & ge-  
nuino splendore carentes; est enim justus, Aristi-  
des sed egenus; magnanimus Phocion, Themis-  
tocles, sed inopes & rerum nervo destituti.  
Verè enim nervus hæc virtus, de quâ sermo no-  
ster, indigitari & inscribi meretur. Unde factum  
credo, ut pecuniam non pauci in ipsa nobili-  
tatis definitione ponere minimè dubitaverint.  
Rati nimirum, neminem partæ nobilitatis  
gloriam tueri posse, nisi qui pecuniæ auxilio  
instru-

instructus sit. Ex quo perspicuè patet, hanc virtutem, ad gloriam parandam & totius generis ornamentum consequendum, apprimè esse accommodatam. Possem producere plurimos, si quæsitæ brevitatis ratio pateretur, qui liberalitatis & magnificentiæ splendore illustria claritatis jectere fundamenta. Pelopem ejusque ortum, modò antiquitati fides habenda, si ponderamus; barbarus ille & advena, eâ in Græciæ parte, quam à nomine suo Peloponesum vocitarunt, magnificentiæ beneficio rerum potitus summâ. Priscum illum Tarquinium vobis considerandum propono, nonne exul & ignotus Romæ clarum nomen est adeptus, & ad regni fastigium collocatus? Quid Cosmum illum Medicem, hujusque nepotem Laurentium commemorem? nonne hâc magnificentiæ laude & ratione eò pervenerunt, ut Florentiæ principatum & amplissimum dignitatis nomen obtinentes in summâ hominum gloriâ haberentur. Nec Cimon ille Atheniensis Miltiadis filius clarus apud rerum scriptores haberetur, nisi hâc magnificentiæ laude fuisset præditus. Nec minus clarus ille est, liberalitatis splendore, quàm parens ejus rebus fortiter & strenuè gestis. Dicitur enim secum semper habuisse pedisequos marsupia pecuniis instructissima manu tennetes, ut si forsan tenuioris sortis obvios  
offen-

offenderet, statim daret quod peterent, ne differendo videretur denegasse. Sæpè cùm aliquem offensum fortunâ videret & minus benè vestitum suum amiculum dedisse dicitur. Atque cùm pluribus locis prædia, hortosque haberet, nunquam eis custodem imposuit, fructus servandî causâ, ne quis impediretur, quò minus ejus rebus, quibus vellet, frui posset. Ut verò summa ubiq; deprehenditur rerum conjunctio & amica necessitas, cujstanquam communi amicitia vinculo inter se sint adstrictæ & ligatæ, ut altera alteri porrigat quasi manum mutumque amorem: Sic & virtutes inter sese adamantino conglutinatae cohærent qf. vinculo. Ut enim regia nobilitati per magnificentiam, patet via, ita non ultimum sibi in isto muneris negotio, vendicat locum artium & Scientiarum Regina Eloquentia, quæ vitæ humanæ gubernatrix, animorum indomitorum domatrix, bonorum conservatrix: quæ consolatur moerentes, excitat afflictos, jacentes & depressos erigit, quæ sceleratis & occæcatae mentis exitio, innocentibus præsidio: immorigeris terrori, obsequiosis ornameto. Ut enim ab omnibus animi medicina creditur ipsa rerum gerendarum Domina & Regina Eloquentia, ita insignis illius excellentia & usus ab eo tempore perspectus est, quò genus humanum

num

num adhuc erat in montibus atque sylvis dissipatum, cum nullis adhuc legibus civilibus aut domesticis moribus excultum. Nec quicquam aliud volunt illæ Poetarum fabulæ & monumenta, quibus memoriæ proditum, Orpheum, beneficio Musices ejusque concentu suavissimo arbores, ligna ac saxa ita demulsisse, ut omnia in unum, ad audiendum ipsum confluerint, locum. Quid referam Amphionem, qui tantâ harmoniæ dulcedine arbores commovisse dicitur, ut illas, quò vellet, duceret, illæque sequerentur? Quo nihil aliud fabulatores illi veteres significarunt, quàm homines eruditâ linguâ pollentes, agrestes & indomitos hominum animos truncorum ac lapidum instar domare, bonisque moribus ad sanioris rationis statum revocare posse. Quod & de Theseo commemoratur, qui primus Athenienses per pagos ac loca salebrosa dispersos in unum locum, illosque optimis moribus instructos legibus sibi devinxit, indeque æternam laudis palmam consecutus. Nec illos, qui eo vetustiores extiterunt, hinc referam, à quibus urbes conditæ legibusque donatæ fuere. Hinc apud Rom. vix quenquam magnam, sine Eloquentia consecutum legimus potentiam, referente Cornel. Tacito, ut alia sexcenta præteream, M. T. Cic, humanarum literarum facile princeps,   
cujus

cujus linguæ cœu fulmen Catilinæ robustissimam  
infregit audaciam ipsumq; Antonium totius Ro-  
mæ vastatorem proscripsit, ex humili genere ad  
consulatus imperijq; fasces, in quibus amplissima  
dignitas posita, ingenio & eloquentiâ fretus pro-  
venit. Nec addam, quantæ sit necessitatis civilis  
prudencia, cùm non minus per hanc, quàm animi  
magnanimitatem regia, ad nobilitatem acquiren-  
dam, pateat via. Quid enim arma valeant, nisi con-  
siliium & prudentia gubernet ac regat? Vis enim  
consilij expers facilè mole ruit suâ. Nec quicquam  
utilitatis & commodi adfert ipsius Polyphemi in-  
gens corporis moles unico oculo effosso, quo de-  
beat regi & gubernari. His virtutibus nunc, quæ  
leviter & breviter à me tactæ & adumbratæ, (teti-  
gisse enim saltem sufficere debebat) qui instructus  
fulget, ab omnibus rectè sentientibus nobilitatis  
ornamento semper dignus habitus est. Sed ut  
quodam posito ligno, non statim inde fit Mercu-  
rialis statua, nisi justa accedat effectio & forma,  
cum omnis res in totâ rerum naturâ suam certam  
appetat formam, quæ eidem elargiatur esse, quâ  
absente, ipsa necessariò sit imperfecta, mutila ac  
manca: omnisq; illius rei actus & operatio depen-  
det potius, à suâ, quâ gaudet, formâ, quàm rei mate-  
riâ; quæ duo perpetuò q̄s. maritant se invicem; sic &

D

res

res comparata est cum nobilitate, ad quam nisi accedat iusta ac necessaria forma, quæ ei inducatur, legitima haud censi merebitur. Quod fit, quando ille, qui totius imperij Majestate & jure ab universo rerum conditore donatus, mortalibusq; virtutis præmia secundum cujushbet meritum distribuens, unum vel alterum a vitâ & propriâ gloriâ clarum, supra eorum, qui inferioris fortis, conditionem, in splendidum nominis ac nobilitatis attollit fastigium, panditq; illi viam ad astra. Ut verò in magnis fluminibus non tantùm anxij esse solemus de eorum ortu & capite, sed etiam seduli in illorum finibus indagandis ac decursionibus, sic & mihi inconueniens esse videtur, dixisse de divino ac augusto nobilitatis ortu ac principio; illius verò finem, qui ad agenda quævis excitat & instimulat animos, silentij nube involutum relinquere, invidiæ notam mereri videtur. Sit verò summus & ultimus summi Dei gloria; Patriæ, alterius parentis, Salus & Securitas. Secundarius verò, ut omnia decenti ordine, vinculo ceu adamantino inter se artissimè copulentur, quò primi postremis, medijs utrisque, omnes omnibus necessario quodammodo nexu inter sese & cum Republ. quasi conglutinentur. Nam ubiq; ordinem Reipubl. augmenta, rerum verò confusionem insequuntur detrimenta &

ta & ruinæ. Quantum verò hîc errent errorem illi,  
qui omnia ubivis locorum exæquare conantur, ni-  
hilq; primum, nil medium, nil ultimum, sed cun-  
cta sine ullo graduum discrimine confusa volunt,  
superfedebo demonstrare pluribus. Rebus enim  
sic comparatis, nullus virtuti integer remanebit lo-  
cus, nulla ad res arduas incitatio, nullum studium.  
Sublatis quippe virtutis præmiis, virtutes ipsas quo-  
quodammodo videbis sublatas. Ac ubi nulla Mil-  
tiadis trophæa, ibi nec Themistoclis insomnæ no-  
ctes. Intueamur totam hanc rerum universitatem,  
nihil sine fructu, nihil sine commodo & usu in-  
signi, deprehendemus. Ut ergò arborem vigen-  
tem fructus, sic quamlibet virtutem honestamque  
actionem suus certus insequitur fætus. Series igitur  
sermonis nostri, nos ut etiam nobilitatis augusta  
videamus monumenta monet. Perperam enim il-  
le acturus, qui in viridario omnes, unâ vice, decer-  
pere vellet odoriferos flosculos; haud minus insi-  
pientiæ accusandus ille, qui omnia uno, illius de  
quâ nostrum hoc institutum comprehendere vel-  
let insignia commoda. Certè nullum si aliud, hoc  
unicum, cæteris rebus mortalibus ambiguum fa-  
ceret palmam æterna honoris & gloriæ in posteros  
propagatio & continuatio. Quâ paternobilis par-  
tam virtute nobilitatem, hæreditario quasi jure in  
infinitem usque transmittit in sobolem, quemad-  
modum

modum enim in stirpibus, sic in parentibus virtutis succus ex radice diffunditur in surculos. Atque ut arbor generosa in feracissimam terram consita, diligentique ac sedulam curam culta, malos fructus haud gignit, ita illi, qui probis parentibus nati, honestarum artium exercitio & culturam ad honestatem excolti fuerunt, vix possunt haud proferre fructus, qui ortus sui testimonium & fidem perhibeant. Nec sperabo hinc, ullum inventum iri, qui paternam gloriam fretus, propriam contemptui ducat; quum virtus nullam obveniat hereditate, sine hac vero splendor nobilitatis umbra & nomen vacuum sit. Quilibet exinde ex nobili semine satus, suam virtute & praeclaram majorum suorum premens vestigia, arduam & asperam crebrisque sentibus viam virtutis capessere & calcare contendat, ne majorum generis celebritatem maculis vitaeque turpitudine obscuraret, in se autem plane extingui permittat. Sublato quippe & destructo fundamento, tectum superius sponte ruet, nec quicquam superstrui poterit; sic cessante virtute, nobilitatis fundamine, necesse nobilitatem ipsam ruinam experiri. Nam quod praeclare Poeta dixit,

*Laus est creari splendidis majoribus;  
Sed ista laus est sortis arbitraria:  
Nec tam decorum genere pronasci bono,  
Quam turpe avorum gloriam indecentibus  
Foedere factis, obruisse ignavia.*

Libe-

Libereq; ut solet atq; magnifice Juvenalis exclamat

*Nobilitas sola est atq; unica virtus.*

Incitamenta igitur quilibet generosioris animi capesset, quò partam nobilitatem suà prosequatur virtute, & res strenuè gestas meritaq; progenitorum suorum imitari, omnibus, quod ajunt, contendat remis.

*Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis*

*Atria, quid pleni numerofo consule fasti*

*Profuerint, si vita labet? perit omnis in illo*

*Gentis honos, cujus laus est in origine sola.*

Nec ultima nobilitatis emolumenta sunt, tot tantaq; ingentia honoris ac dignitatis privilegia, quæ partim jure communi, partim consuetudine, statuto vel speciali lege nobilitati concessa obtinentur. Hinc eorum antiqua fides tum in testimoniis fanciendis tum in aliis rebus semper major & firmitior ceteris habetur, fideiioresq; ipsi ubiq; censentur; adeò, ut cum audimus aliquid à nobilibus viris promitti, id fiat sub fide suæ nobilitatis antiquæ, ceu nullam aliam firmiorem invenire vel securiorem liceat. Inde quilibet princeps eorum comitatu libentius stipari gaudet, quàm à plebejis: dum ab ipsius latere qsi. proximi dependent, ut in rebus arduis & regni causâ gerendis eorum industria præ cæteris adhibeatur. Præterea ad officia secularia & beneficia spiritualia, nec non legationes subeundas magis, ceu digniores assumuntur. In electionibus aliis

ve, quocunque veniant nomine, actibus, ubi voces undiq; habentur pares, præferri consuetudo tulit. Infinita in enumerandis Nobilitatis effectibus & emolumentis, hîc sese offert dicendi materies, at cum longè præstet, tacere, quàm pauca dicere, omnia illa Doëtorum pulpitis relinquens, paucissima tanquam delibare est animus. Siquidem non ultima sibi vendicant loca ea, quæ in reverentia & honoribus nobilitati deferendis, consistunt. Sunt enim omnium consensu nobiles in primis virtutum splendore coruscantes præ cæteris honore affiendi; in sessionibus & salutationibus præferendi, digniq; in primis, qui in judicijs sedeant. Neq; hoc vile cuidam videatur, quod nobilis ab ignobili induellum vocari ne utiquam possit. Accedit, quod exequiæ & funera eorum majori pompâ, solemnitate & impensis celebrentur. Alia sunt, quæ in immunitatibus aliis & privilegijs consistunt; quæ omnia enarrare, esset onus humeris meis longè majus suscipere. Quare hæc iis relinquemus, quorum supellex eruditionis nostræ præcellit. Perlustratis nobilitatis commodis seu emolumentis, sponte sese nobis offerunt, quæ adjacent, eamq; iudivisim sequuntur, quippe priscis illis temporibus, quò esset, quo virtutis pulchritudo exprimi posset, adhibebantur imagines: quæ erant signa eorum, qui virtuti se consecraverant. Illarum verò  
loco

loco successerunt insignia gentilia, quæ ipsa, rerum  
præclare gestarum sunt indicia, eam ob causam  
ab Imperatoria Majestate concessa, ut testimonia  
perhibeant, nobiles aliis præstare. Quæ compen-  
diose persculpta, picta aut cælata denotant illud,  
quod egregium & signo demonstranti proportio-  
natum ad immortalitatem eorum, qui illud gesse-  
runt, uti differere videtur Tholosanus, Sic Leones  
magnanimitatem heroicam in bello, & clemen-  
tiam erga subditos, Bubulorum capita fortitudi-  
nem cum prudentiâ conjunctam; stellæ conspi-  
cuas innuunt personas; Cygni amorem artium;  
Trabes Oeconomiam; Galli vigilantiam & animo-  
sitate; Canes fidelitatem & custodiam alacrita-  
temve; Arietes eminentiam; Cornua animi ma-  
gnitudinem ac robur; Columbæ fidelem Reip.  
sustentationem; Rosæ suavissimam multorum re-  
fectionem & liberalitatem; pelles Hyenæ contem-  
ptorem ludentis fortunæ & calamitatis; Formicæ  
rerum cognitionem & prudentiam, & quæ hujus-  
modi sexcenta alia licebat afferre, Nec ille rationis  
usum habet, qui colorum distinctiones, quæ ap-  
ponuntur, suo carere judicio putat. Fusco enim &  
nigro colore denotari potentiam, perseverantiam,  
taciturnitatem, patientiam, prudentiam, à Scripto-  
ribus memoriæ proditum est; Saphirino & Azuri-  
no pulchritudinem, humilitatem, sanctitatem &  
devo-

devotionem: Aureo vero desiderium, lætitiã, fidelitatem, sapientiam. Argenteo puritatem, aptitudinem, innocentiam, integritatem, eloquentiam. Rubeo notari Charitatem; viridi lætitiã, honorem, amorem sincerum. Purpureo autem indigari liberalitatem, abundantiam & divitias. Præterea nobilitatem ut comitentur divitiæ, necesse ducitur ab iis, quorum scripta memoriæ hominum relicta sunt: licet nil unquam absurdius, nil perniciosius, quàm dignitatem quæstu, ordinem pecuniis, nobilitatem opibus metiri.

*Nimirum stultæ hæc sententia, si sit ab auro  
Nobilitas: certè de terra nascitur aurum,  
De fraude & furto, de fœnore; Nobilitas! O  
Judicium vulgi insanam! ô sine pectore turba!  
Nobilitate hominem non ulla pecunia, nulla  
Divitiæ possint: precio nam dignior omni est  
Nobilitas: hæc non emitur, nec venditur auro.*

### Et alius Poëta

*————— ————— ————— Si nobilis ille putari  
Debet, quicumq; est dives: sic nobilis esse  
Cerdo potest, lanus, tonsor, piscator, equiso,  
Pastorq; & Pistor, Coriarius atq; bubulcus,  
Et latro & leno, & quivis de gente lutosâ.*

Ut ut v. hoc omni à dubio remotissimum & alienissimum; divitiæ tamen opesq; si justis & honestis rationibus partæ sint, licet in sese non nobilitent, ingens tamen decus nobilitati addunt, illamque illustrare, splendere facere & conservare possunt. Ut sit quod agmen claudat, non minimum nobilitatis

litatis ornamentum esse, censetur, veneranda anti-  
quitas. Ut enim in singulis hominibus miram  
& reverendam præ se fert canicies majestatem &  
autoritatem, adeò, ut ab ipso omnium mortalium  
sapientissimo dicatur Senum Corona; similiter ut  
aliis rebus licet non pretium, at reverentiam miri-  
ficam tamen ipsa antiquitas consuevit addere; sic  
in nobilitate fieri par est ac existimari, hanc præsta-  
biliorem fore, quo ipsa vetustior atque antiquior  
fuerit. Nam antiquissimum quodque, & opti-  
mum fermè haberi solet. Ex quo illud videtur  
datum, nobilitatem in ictu oculi non nasci, sed  
temporis diuturnitate, familiaræque vetustate con-  
ciliari. Quò enim vetustas generis longius tendi-  
tur; eò plus autoritatis habere nobilitas existima-  
tur, inde perpetuitatis dicunt illud, nobilitatem  
à nobilitate primum ducere ortum, in filiis pube-  
scere, in nepotibus adolescere, tandemque in pro-  
nepotibus canescere maturamque ac absolutam  
consequi ætatem. Dicit ergò non potest, quan-  
tam ac quàm incredibilem planè nobilitati recon-  
ciliat majestatem annorum canicies. Fiunt enim  
ea quodammodo, quæ præsentem memoriâ remota  
sunt, ipsâ vetustate sanctiora; ita ut majora quæ-  
dam de illis suspicari soleamus, quàm quantum  
nostræ ætatis homines omni studio possint imita-

E

ri.

ri. Quod ipsum magnam obtinere vim in familiis, quis est in rerum pandectis adeò peregrinus, ut in contentione parum interesse videatur, utra sit antiquior? Videtur namque rationi omninò consentaneum, ut illæ maximæ illustres habeantur, quæ plurimis annis ita se gesserunt, ut decoris ac dignitatis possessionem virtute perpetuâ tuerentur. Inde fit, ut generis novitatem plerique contemnere videantur. Nec absre; novitas enim utut omnibus rebus condecorata, caret tamen illa ætatis canicie, cui præcipuum honorem tribuendum, leges sanciant. Proinde ut supra dictum, uti hominibus senectus gravitatem quandam conciliat; sic in nobilitate claræ gentis antiquitas, cum nobilitas splendore generis continuata, consummata intelligitur potiorque habetur. In nobili enim generoso non modò propria elucent facta, sed & majorum: ex quibus quoties unus præclare aliquid gessit, & quotquot fuerunt ex illis illustres & clari, toties totque accessionibus aucta videtur illius gloria. Et sane si omnia nobilitatis propria hîc recensere vellem, idem mihi accideret, quod Timanthi evenit. Is cum Iphigeniam Oratorum laudibus celebratam, stantem ad aras & jam jam perituram in tabella exprimere vellet, moestos pinxit omnes circum, præcipuè patrum.

In

In quibus cum omnem tristitiæ consumsisset ima-  
ginem, patris ipsius vultum velamine obduxit,  
quem dignè non poterat ostendere. Idem in dissi-  
mili quidem affectu hîc contingit, ut tum illustri-  
simum nobilitatis ortum venerabundus suspicio,  
non possum eum dignè ostendere, & illi ita Timan-  
this velum injicere cogor. Admiratio namque  
maxima non parit verba, sed silentium, & tecta ve-  
neratio plus habet ponderis, quàm verborum  
schemata & blandimenta.

Ad Te, nunc Generose & Nobilissime spei-  
summæ Adolescens, CHRISTOPHORË  
CASPARE, clarissimi generis propago lectissi-  
ma, mea se vertit oratio, jejuna quidem, nullis-  
que numeris ponderosa, sed ex sincero & intaminato  
animo deprompta. Tu enim unica causa, cur  
hoc laboris, quicquid ejus denique est, susceperim,  
& hunc contexerim sermonem. Neque enim  
aliter testari tibi licebat, quàm studioso animo in  
te & perquam proluxo affectu essem, qui informan-  
dæ tuæ ætati quatuor annis præfui; & quam id  
maximè voveam, desideremque ac cupiam, ut  
verè te nobilem & omnibus præstantissimis virtu-  
tibus ornatum atque instructum videam. Nam  
quantum parenti tuo viro maximo, cum spei ac  
gaudij, tum sollicitudinis, quæ semper cum amore

ingente conjuncta est; tantum & mihi hactenus  
præbes. Nec quicquam fidelem præceptorem  
magis decet, quam ut nihil eorum negligat, quæ  
ad salutem discipuli ullo modo ac ratione pertine-  
re possunt. Cæterum quid tibi, quæso, deest  
CHRISTOPHORE, eorum, quibus aliàs freti  
homines in summum fastigium evehi solent? Nam  
si ad eam rem aliquid facere potest splendor pa-  
triæ, ut facit sanè; Berolini nat9 es: quæ ut aulâ Se-  
renissimorum Electorum Brandenburgensium tot  
annis Illustris ac summis viris frequentata semper  
fuit, ita caput & princeps totius Marchiæ meritò  
audit. Primum autem Naturæ beneficium, quod  
mortalibus contingere potest, & ad conciliandam  
nobilitatem plurimum valet, clarâ patriâ nasci: al-  
terum non ex plebejo, sed nobilissimo sanguine  
ducere genus, summisque natalibus ortum esse,  
Quod utrumque cum tibi contigerit largiter, re-  
stat id naves operam, ut te & patriæ tuæ, & Majorum  
tuorum gloriâ dignum præstes. Magnus certè  
ab utroque parente accedit tibi natalium splen-  
dor: & cui celebrando ac prædicando satis ego  
longè impar sum, & melius uberiusque Historiæ  
atque annales dicent. Quare neque commemo-  
rabo, quot illustribus maximisque dotibus pater  
tuus ornatus: quas dignitates gesserit, quibus le-  
gatio

gationibus cum magnâ laude functus. Id præ-  
terire tamen tacitus haud possum, iis rebus effe-  
ctum fuisse, ut Augustissimus Imperator Romanus  
inter consiliarios ipsum allegeret, & summis  
rebus præficeret. Habes, CHRISTOPHORE,  
in illo igitur vestigia, quæ omni ratione & studio  
sequenda & insistenda putare debeas: qui variis &  
nobilissimis doctrinis instructus haud tantum, sed  
& gerendarum rerum usu atque scientia præstat:  
tot linguas exoticas, Latinam, Italicam, Gallicam  
atque Hispanicam callet; tot aliis excellentissimis  
laudibus floret, ut potius sit tacitè ipsum venerari,  
quàm jejunâ narratione illius gloriam attenuare.  
Quid nunc de iis dicam, ex quibus ortus est ipse  
pater? quot quantaque exempla illi præbere pos-  
sunt, quæ omni studio & contentione æmulari  
oporteat? Ne longè abeam, & ad origines ultimas;  
avum tantum ac proavum tuum tibi proponam:  
quorum iste Episcopus Lebusitanus, ille Præposi-  
tus Metropolitanæ Magdeburgensis & Halbersta-  
densis; uterque in Brandenburgicâ aulâ magni no-  
minis & auctoritatis illustris, ac dignitatibus sum-  
mis functus fuit. De antiquitate verò prosa-  
piæ tuæ, quæ necessaria ad summum decus no-  
bilitatis, magnum & ingentem addens splendo-  
rem, quid memorem? quæ tanta est, ut, si antiquis

monumentis credimus (& quomodo iis derogetur fides?) vel ultra sexcentos annos sese extendat. Præterea in amplo & copioso patrimonio natus es. Ac quamvis turbo ille bellorum, qui nihil reliquit intactum ac inconcussum, & ipsum afflixerit vehementer ac circumscripserit; multum tamen ad sarcienda damna & reparanda, cum melior fortuna temporum, tum virtus cujusque atque industria potest. Sed & insignia gentis tuæ tibi præter oculos ponere libet. De quibus multa cum possem, pauca tamen attingam tantum. Vides in illis itaque stantem alatam virginem, sinistra ostentantem coronam lauream, altera lauri fruticem ostentantem, Virgo intaminatæ virtutis honestatem significat; laurus perpetuò virens, æternum & immortale nomen virtute partum, Velamenta cassidis ex nigro & aureo colore conspicua sunt. Quorum alter potentiam, perseverantiam, taciturnitatem, patientiam, prudentiam exprimit; alter lætitiā, fidem, sapientiam gloriāque designat. In clypeo cernitur vitis uvis plena, ad indicandum patriæ gaudium, solatium & alacritatem ex stirpe hujus familiæ capiendam. Huc enitere igitur, huc omnibus nervis contende **CHRISTOPHORE**; neque committe unquam, ut nobilitatem tuam insignibus, non rebus  
ipfis

ipsis potius, quæ significantur, metiendam putaveris.

*Imitare mores.*

*Patris justis, filio enim gloria hæc*

*Pulcherrima, qui ex patre pronatus*

*Consentit cum parentis moribus.*

Præterea, cum tibi sit ingenium & indoles magna, quæ semper altissima spirat; cæterum ad astra nisi virtutis viâ subiri haud queat; hanc amabis, hanc admiraberis unicè, hanc sequere assiduè & complectere perpetuò; vitia verò & voluptates detestare, fuge, execra. Præcipuè verò quæ loco nobili natum summo exornant splendore, & ad summum honoris & gloriæ perducunt culmen, sunt quatuor illæ cardinales, quas vocant, virtutes, & cæterarum quasi fontes quidam. Quarum una custos & propugnatrix urbium & justitiæ fortitudo; hanc veram efficere nobilitatē, non veritus est plenis, quod ajunt, buccis affirmare ille Marius in bello Jugurthino, hunc in modum erumpens: quamquam ego naturam unam & communē omnium, existimo; tamen fortissimum quemq; generosissimum puto. Hinc Fab. Quint. quis, inquit, generosissimus, nonne, qui optimus? non qui claritate tantum nascendi, sed qui virtute maximè excellit. Et Seneca de moribus; Nobilitas animi, generosus sensus; nobilitas corporis generosus animus.

Hanc

Hanc animi autem altitudinem moderetur temperantia, quæ quidem totius honestatis & elegantiae decus & ornamentum in se continet; adeo ut Socrates Philosophorum princeps interroganti, quid esset nobilitas, respondere minimè dubitavit, *ἐννεργία*, inquit, *ψυχῆς καὶ σώματος* (temperies animi & corporis.) Huic accedit humanarum præses & arbitra Justitia, cui, qui studuit, immortalitate semper dignissimus ab omnibus fuit habitus. His lumen quasi splendoremque ac decus addit Regia Magnificentia; numerum verò absolvit doctrina & illa domina rerum Eloquentia. Sint igitur veri nobiles magnanimi, sint justi, sint magnifici, sint rerum maximarum periti, disertis denique ac eloquentes. Age itaque propago generosa, CHRISTOPHORE Nobilissime, perpende hæc tecum assidue, & cum ad capessendam hanc gloriam tot incentiva & stimulos, & generosus Pater, & tota majorum tuorum series, subjiciat in id incumbere diligenter, & omni curâ studioque enitere, ut omni virtute & sapientiâ insignis fias ac clarus. Docilis tibi & capacissima indoles est; nec parcat ullis sumptibus ac impensis pater, quibus opus erit. Id tantum reliquum est, ut cæpta urgeas, & voluntatem egregiam, studium, industria constantiaque sequantur. Quid enim est  
quod

quod evehit ad astra? Studia. Quid est quod  
deserere nescit? Studia, quæ juventutem oble-  
ctant, senectutem alunt, quæ domi ornamento,  
non impedimento foris, nobiscum peregrinan-  
tur, rusticantur. Per hæc angusta vincimus &  
ad augusta adspiramus: ex parvis caducisque ad  
æterna & maxima pervenimus. Elige cum Her-  
cule virtutis viam primo quidem intuitu angu-  
stam & salebrosam, & rejice voluptatis viam,  
amplam principio & amœnam, sed in fine angui-  
bus ac serpentibus plenissimam; cultoriq̃ue per-  
niciem inferentem æternam. Virtus in tem-  
pestate quieta est; lucet in tenebris, pulsa loco  
non moeret & plorat; sed vindicat se in eum  
locum unde dejecta, cumq̃ue ex se splendorem  
sibi semper generet, alienis sordibus obsolescere  
haud potest: & quod Poeta ait,

*Semper summa petit nunquam manet infima virtus  
Nec vult obscuris illa latere locis.*

In primis verò virtutem omnium primam, semi-  
narium & originem, pietatem, summe, tibi com-  
mendatam habebis. Ille enim verè clarus, ille  
verè sublimis, vereq̃ue nobilis, ille tunc integram  
nobilitatem suam putet, qui dedignabitur servi-  
re vitiis, & ab eis non superari; ut habet Chryso-  
stomus pius & antiquus antiquæ & piæ Ecclesiæ

E

vates,

vates. Atque quod Plautus gentilis homo dicit, omnia in se habere, omnia adesse bona, quem penes sit virtus; longè potiori jure de pietate usurpatur, omnia in se habet, omnia assunt bona, quem penes est pietas, hæc, hæc virtus Paulo attestante, ad omnia utilis inculcatur, habens promissionem hujus & futuræ æternæ vitæ. Et quis meritis hanc divinam virtutem laudibus persequi posse confidat? à quâ tanquam perenni quôdam & limpidissimo purissimoque fonte, quicquid est in hominum vita laudabile, continetur, effluit. Ne te diutius teneam, & ut compendio usus, multa paucis complectens exponam tibi, quam tandem nobilitatem veram statuere debeas, age CHRISTOPHORE, & hos Poëtæ versus habe tibi, & in intimum pectus, volvendos assiduè & subjiciendos tibi demitte:

*Nobilitas hominis mens est, Deitatis imago,  
Nobilitas hominis virtutum clara propago,  
Nobilitas hominis, humilem relevare jacentem,  
Nobilitas hominis, nisi turpia nulla putare,  
Nobilitas hominis, Natura jura tenere.  
Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.  
Nobilitas morum plus prodest, quam genitorum;  
Nobilitas etenim sola est, quæ moribus ornat.  
Nobilis est solus virtute insignis & arte.*

Satis

Satis de nobilitate diximus, tu mi Ocelle Vive &  
Vale, Vige & Flore parentibus gaudium, amicis  
præsidium, emolumentum patriæ & tibi  
ipsi ingens atque æternum  
decus,

F I N I S.

Ἐὼ θεῶν θόξα.



Ma 3744

statu de nobilitate  
Vale Vigor & Fortitudo  
gratitudo, clementia, pietas, scribit  
ipse ingens atque eternum  
deum

F I N I S

10/17





ULB Halle

3

006 836 011







4537.

Adspirante JEHOVA  
DISSERTATIO  
De  
**NOBILITATE,**  
*Ad Generosum ac Nobilissimum  
Adolescentulum,*  
CHRISTOPHORUM CASPARUM  
à BLUMENTHAL  
*Autore,*  
Johanne Cramero  
Eidem à Studiis.

WITTEBERGÆ  
Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.  
ANNO MDCXLIII.

Ma 3744

